

$\pi i$   
2019

3



X. 4. 144



K. 414, 10.

X 2346578

Hi  
2019

DE

VSV SCRIPTORVM  
VETERIS ECCLESIAE

(3)

DISPUTATIO TERTIA

PRO LOCO

IN AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE  
TVENDO

PROPOSITA ET DEFENSA

A

M. SAM. GODFR. GEYSERO

FAC. PHILOS. ADI

RESPONDENTE

IOANNE ERNESTO CHRISTFRIEDO BODENO

VITEBERGENSI S. TH. CVLT



DIE

SEPTEMBR. A. C. clv IdccLXV



VITEBERGAE  
LITERIS TZSCHIDRICHIANI



DE

VSV SCRIP TORVM

VETTER EOCLESIAR

DEPARTMENTO

REGI COE

IN ANNUMO


REGI COE

M. SAM. COE. R. GEYSERO

REGI COE

REGI COE

REGI COE





DE  
VSV SCRIPTORVM  
VETERIS ECCLESIAE

DISPV TATIO III

---

§. IX  
VSVS PATRV M RHETORICVS

**M**irum fortassis uidebitur nonnullis, qua ratione ue-  
teribus Patribus usum rhetoricum tribuendum  
censeam; cum non sit ignotum, totam illam  
artem rhetoricam, a Patribus adhibitam, ma-  
gis fere uitio illis dari, quam laudi; hac imprimis de  
caussa, quia haut pauci ecclesiae romanae errores istis  
oratoriis ornamentis ortum debeant suum. Atque ego haut  
abnuerim, accidisse nonnunquam, ut, quae a Doctoribus  
ecclesiae oratorie dicta essent, ita et acciperentur et ad er-  
rores uel excogitandos uel incrustandos detorquerentur,  
ut tantum non fontes eiusmodi errorum uideri possent.

E 2

Cuius

Cuius generis e. c. est ille *Cultus Martyrum et Sanctorum* in ecclesia romana; ortus, ut satis constat, ex male intellectis laudationibus Martyrum. q) Talium uero errorum culpam transferre in bonos Patres, quam iniquum hoc est! r) Quis non de grauissima, sibi facta, iniuria merito conquerratur, cui accidat, ut ex suis uerbis, aliorum uel incitiam uel fraude, aliquid exprimatur, quod a sensu et uoluntate sua plane abhorreat. Verum haec causa pertinet ad alium locum, infra a nobis tractandum. Iam breuiter uideamus, num

q) Vid. CHEMNITII *Examen Conc. Trid.* T. III. in loco qui inscribitur: *Historia de origine inuocationis sanctorum*; cum quibus conferri potest elegantissima obseruatio S. V. ERNESTII in *Biblioth. theol.* Tom. I. p. 639.

r) At hoc ipsum tamen accidit bonis Patribus iniquitate IO. CLERICI in *Art. Crit.* Vol. I. p. 347. seqq. unde unam tantum ἔγωγε exempli causa subscribam. *Hinc fit*, inquit Clericus, (l. c. p. 350.) *ut, cum in scriptis Patrum quaerimus, quid senserint de dogmatibus obscuris aut in controuersam uocatis, difficillime interdum inuenire liceat, quod ambiguitate careat aut quod hyperbolicis locutionibus non sit praeter modum auctum. Hinc etiam factum, ut simplicissimi et sapientissimi instituti primaeui Christianismi ritus, fallaci pompa uerborum ornati aut potius obruti, nescio, quid μυστηριώδες, et, quod superaret naturae ordinem, ac initio a Deo constitutum, habere primum uisi sunt, et tandem in arcanas et absconditas ceremonias mutati; unde absurda confectionaria deducta sunt, quibus haut parum corrupta est species Christianismi, primum uerba pulchritudine longe gratissimi. Omnes satis intelligunt, me loqui de Baptismo et coena dominica. Hem! quid hoc est! Num ergo credamus, quae de S. Baptismo et S. Coenae diuina uel in scriptis Patrum atque adeo in ipsis Scripturis sacris legimus, ea hyperbolicis dictionibus praeter modum aucta esse? Hoc uero est, non modo Patres, sed ipsam Scripturam sacram in crimen uocare.*

num quid bonae frugis insit in libris Patrum, quod dicendi studio prodesse posse uideatur.

Hic mihi campus amplissimus datur, in quo latius possem excurrere atque in recensendis ueterum Patrum Homiliis earumque praestantia explicanda, laudanda, commendanda non inuicem nec iniucundam operam ponere. Quamuis enim animus meus ab eorum ratione uehementer abhorreat, qui nostrae aetatis Scriptores ab omni ingenii doctrinaeque laude ita excludunt, ut nihil, nisi quod antiquum sit, praecipua quadam laude dignum esse existiment; tamen uere hoc affirmare posse mihi uideor, nostram aetatem in ea arte dicendi, qua in templis uti conuenit, multis modis superari a ueteris ecclesiae Doctoribus, in quo etiam non admodum difficiles me puto habiturum eos, qui facultatem de ea re iudicandi habent. Nam si uerum est, ut est, praecipuam eloquentiae sacrae dotem inesse in populari quadam et ad sensum intelligentiamque communem accommodata dicendi ratione: non potest profecto negari, ueteres Patres, praestantissimos illos in dicendi genere populari artifices, inprimis dignos esse, quibus eloquentiae sacrae laus tribuatur. Atque prompta mihi et parata sunt multa eaque egregia, quae hoc planum faciant, exempla; quorum magna copia ex uno *Chrysostomo* colligi, non pauca etiam in *Cypriano*, *Arbanasio*, *Ambrosio*, *Augustino*, *Basilio*, *Gregoriis*, *Hilario*, *Hieronymo*, *Bernbardo* et aliis obseruari possunt. Quia autem huic primae disputationis nostrae parti hoc tantum propositum est, ut de usu patrum ad humaniores artes

E 3

per-

pertinente agamus: totam illam disputationem de Homiliis Doctorum ueteris ecclesiae hoc loco praetermittimus; latius et copiosius postea de iis exposituri, ubi ad locum de usu patrum theologico delati erimus.

Neque uero existimandum est, lectionem Patrum, maximeque illorum, quibus prae ceteris eloquentiae laus tribuitur, iis tantum, qui de rebus sacris et ad doctrinam christianam pertinentibus populariter et copiose dicere uelint, usum non contemnendum praebere posse; reliquis uero eloquentiae studiosis parum aut omnino nihil prodesse. Videtur igitur operae pretium esse, ut breuiter nunc animaduertamus, quid ad eloquentiae atque bene dicendi scribendique studium in uniuersum ualeant praestantiores et elegantiores ueterum Patrum libri; quos ualere sane quam plurimum, nisi me amor suscepti negotii fallit, uidere mihi uideor. Ac primum quidem de praeceptis rhetoricis, etiam si nihil horum in Scriptis Patrum occurreret, non admodum tamen laborarem. Habet enim hoc omnino eloquentiae studium, ut magis ingenio, copia litterarum, lectione optimorum scriptorum, assidua dicendi et scribendi exercitatione usuque rerum quam infinita illa regularum mole adiuuetur et perficiatur. Quod si quis tamen sit, quem praeceptorum rhetoricorum amor adeo ceperit, ut illorum scientiam in praecipua ac maxime necessaria parte bene discendae eloquentiae ponat: is multa, quae huc pertineant, in scriptis etiam ueterum Patrum inueniet. Legat, si cui uolupte est, animum suum his nempe deliciis pascere, *Fabii Marii Victorini,*



*rini, Augustini, Cassiodori, Alcuini* libellos rhetoricos, iunctim et cum aliis Rhetoribus latinis antiquis editos ex Bibliotheca Franc. Pithoei Parif. 1599. Quaternis.

Sed quoniam, ut supra diximus, multo melius et ad utilitatem suam accommodatius facere ii uidentur, qui magis legendis bonis scriptoribus, quam ediscendis praeceptis rhetoricis operam dant: age, circumspeciamus nunc exempla ueterum Patrum, quae legisse et, quantum potest, conuertisse ad usus suos, neminem eloquentiae studiosum poenituerit. Et, ut a Graecis incipiamus, primum nominare possum *Clementem Alexandrinum*, eloquentissimum sane scriptorem, cuius oratio, praefertim in *Paedagogo*, adeo uenusta, suauis et quasi mellita est, adeo abundans elegantissimis uerbis et sapientissimis sententiis, adeo ornata bonarum litterarum multo splendidoque comitatu, ut nihil supra. Quid? *Origenem*; Quid? *Eusebium, Basilium, Gregorium Nazianzenum, Theodoretum*; Quid illum aureum orationis flumen fundentem *Ioannem Chrysostomum*, parumne illos putemus profuturos esse iis, qui ingenium suum alere ad dicendi copiam uelint. Deinde, ad scriptores latinos quod attinet, primo, quis nescit, quanta in *Lactantio* latini sermonis insit elegantia? quanta omnium ornamentorum copia? quam dulcis et uerborum sententiarumque quasi floribus conspersa oratio? Ac quamuis ceteri ecclesiae latinae Doctores a *Lactantiana* illa in adhibendis puris electisque uerbis diligentia paullulum recesserint: non dubito tamen affirmare, ex illorum quoque non paucis

paucis <sup>s)</sup> ut *Tertulliano, Minucio Felice, Cypriano, Arnobio, Ambrosio, Augustino, Hieronymo, Saluiano* et aliis, multa posse hauriri, quae ad orationis copiam et quasi diuitias, ad sententiarum acutarum et reconditarum ubertatem et ad subdilectam illam argumentandi, id est, argumenta oratorie tractandi, explicandi ac dilatandi artem, egregiam afferant utilitatem.

Illud mihi inprimis monendum adhuc esse uidetur, lectionem latinorum Patrum, et eorum quidem, qui paullo diligentius scripserunt, non parum etiam prodesse ad bene scribendum in Dogmaticis; quod quidem, ut maximis semper ecclesiae nostrae Theologis, e. c. *Melancthon, Chemnitz, Wernsdorff, Buddeo* et aliis curae fuisse uidemus, ita omnibus, qui animum ad scribendum de talibus rebus adpellunt, uehementer etiam atque etiam commendandum est. Atque hi

- s) Enim uero esse in iis quaedam, quae omnino non sint imitanda, id ego negare aut silentio dissimulare nolo. Quo pertinent v. c. tropi duriores, quos plerique fere, inprimis *Africanae* ecclesiae Doctores, ut fit in terris calidioribus, nimis amare uidentur. Tales non pauci apud *Augustinum*, ut alios taceam, occurrunt; qui etiam in usurpandis *παρονομασιαις, πλοκαις, ομιοτελευτοις* ceter. manifeste nimius est, et sermone, iisdem uocibus perpetuo et continenter resonante, mirifice delectatur, ueluti in illo loco (de C. D. XII, 7.) *Nemo ex me scire quaerat, quod me nescire scio, nisi forte, ut nescire discat, quod sciri non posse sciendum est.* Et (de Corrupt. et Grat. 2.) *Intelligent, si filii Dei sunt, spiritu Dei se agi, ut, quod agendum est, agant, et, cum egerint, illi, a quo aguntur, gratias agant; Aguntur enim, ut agant, non, ut ipsi nihil agant.* Sed a talibus uitiis orationis facile aliquis cauere sibi poterit, si modo animum, verae elegantiae sensu ex ueterum Graecorum et Romanorum scriptorum lectione imbutum, habeat.

hi magnopere se adiuvare hac in re sentient, si cum Romanorum veterum libris lectionem elegantiorum ecclesiae latinae Scriptorum, maxime *Lactantii*, *Ambrosii* item, *Hieronymi* et *Saluiani* coniungant. Neque dubitandum est, quin ex ea lectione, ueluti contagione quadam, facultatem bene de rebus theologicis scribendi, sint tracturi.

Propositum mihi fuerat, ea, quae de usu Patrum rhetorico breuiter disputavi, egregiorum aliquod exemplorum quasi luce illustrare; in quibus prae ceteris diligenti consideratione digna putabam ea, quae de admirabili corporis humani fabrica apud *Lactantium*, *Chrysostomum*, *Gregorium Nyssenum*, *Basilium*, *Theodoretum* et *Nemesium* <sup>1)</sup> eleganter et copiose disputantur. Sed satis iam, pro meo instituto, et nimium fortasse hoc in loco commemoratus sum, tempusque est, ut ad ultimum huius primae partis locum de usu scriptorum ecclesiasticorum ad Iuris antiqui scientiam pertinente, accedam.

## §. X

DE VSV SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM  
AD IVRIS ANTIQVI SCIEN-  
TIAM PERTINENTE

Quod nunc dicturus sum, etsi uereor, ne quibusdam tam parui momenti esse uideatur, ut peculiari eius commemoratione dignum sit.

1) Scriptorum, supra laudatorum, loca, quae huc pertinent, haec sunt. *Lactantii* est integer libellus de *Opificio Dei*; *Chrysostomus* de eodem argumento agit in *Homil. XI. ad popul. Antioch.* *Basilii* in *Homil. X. et XI.* *Gregorius Nyss.* in lib. de *Opificio hominis*; *Theodoretus* in lib. 3. de *Providentia*; *Nemesius* in libello, lectu iucundissimo, de *natura hominis*.

moratione non opus sit: tamen et peritioribus rei iudicibus longe id aliter uisum iri spero, et ex iis etiam, quae sequuntur, fatis, opinor, apparebit, dignum sane hunc locum esse, in quo considerando tractandoque nonnihil operae ponatur. Neque enim ego rerum dicendarum adeo inopia laboro, ut omnia mihi studiose corradenda sint, quae ulla tantum, uel remotissima ratione, causam meam attingant; estque mihi haut paullo maior opera danda, ut ea, quae sine huius causae dispendio abesse possint, refecentur, quam ut multa putide conquirantur, quibus chartam tantum impleam. Dicam igitur breuiter, pro facultate quidem mea, quid adiumenti ex ueteris ecclesiae Scriptoribus ad iuris antiqui u) scientiam accedat.

Iam primum, ut ab hoc incipiam, quis ignorat, a doctissimis omni tempore et Iuris peritissimis uiris, antiquitatis ecclesiasticae inuestigationi nonnihil, uel etiam non parum, tributum esse? Quis nescit magna illa nomina, *Ioannem Leunclauium*, *Franciscum Balduinum*, *Melchiorum Goldastum*, *Iacobum Gothofredum*, *Perrum* et *Franciscum Pithecos*, *Nicolaum Rigaltium*, *Henricum Valesium*, *Hugonem Gro-*

*minis*. Hos scriptores inter se conferre et, quae de nobilissimo illo argumento perquam apte et luculente disseruerunt, comparare cum similibus locis *Platonis* (in *Timaeo*) *Xenophontis* (in *Memorab. Soc. I. 4.*) *Ciceronis* (in lib. de N. D. II. 56.) *Plinii* (in H. N. lib. VII) et *Galeni* (in lib. de usu partium corporis hum.) cum hic nimis longum foret, in aliud tempus differo.

u) De *Iure civili* hic loquimur; *Iuris canonici* tum demum mentionem facturi cum de historia disciplinae ecclesiasticae, ex scriptis Patrum illustrata, exponendum nobis erit.

*Grotium, Conradum Rittersbusum*, cett. qui Scriptorum ecclesiasticorum lectione uehementer delectabantur eosdemque ad ius suum ciuile illustrandum, ut saepe loquitur *Franciscus Balduinus*, peritissime et magna cum laude adhibebant. Ex quo haut obscura iam fit significatio, ueteris ecclesiae Scriptores ad elegantiore[m] Iuris scientiam non parum prodesse, cum in iis legendis doctissimi Iureconfulti tantum studii operaeque posuerint. Sed ne ad autoritates omnia referre uidear, omissis nunc autoritatibus, rem ipsam, age, consideremus.

Et ad *Iurisprudentiam antiquiorem* atque *ante Iustinianeam*, quod attinet; multa apud Scriptores ecclesiasticos sparsim occurrunt, quae uel illustrandis ueteribus legibus uel colligendis prisci Iuris fragmentis inseruiant. Hic primo in mentem mihi uenit *Boëthii*, doctissimi et elegantissimi Scriptoris, qui in eruditissimo illo Commentario, quo *Topica Ciceronis* illustrauit, innumera habet, ad elegantiore[m] Iuris scientiam accommodata et quae alibi frustra quaeras, ut illa de rebus mancipi et nec mancipi. Veitur enim semper fere exemplis talibus, quae sunt ex antiquo *Iure Romano* defuncta eidemque non paullum lucis affundunt. Cuius generis sexcenta exempla afferre possem, nec ullus esset modus, si omnia persequi uellem; atque adeo totus *Boëthii* Commentarius esset euoluendus. Paucis aliquot ero contentus. Huc pertinent exempli causa ea, quae *Boëthius* (p. 771. ed. Basil. in forma maiori) ad illum locum *Ciceronis* adnotauit: *Si neque censu neque uindicta neque testamento liber factus est, non est liber*; et (p. 786.) ad locum *Ciceronis*: *Quoniam usus autoritas fundi, biennium est, sit etiam aedium*;

at in lege aedes non appellantur et sunt ceterarum omnium quarum annuus est usus; et (p. 796.) ad locum illum: ut si quis ius civile dicat id esse, quod in legibus, senatus consultis, rebus iudicatis, iuris peritorum auctoritate, edictis magistratum, more, aequitate consistat cetera. item, quae (p. 779.) de tribus modis, quibus uxor habebatur, usu, farréatione et coëmptione; (p. 781.) de capitis diminutione; (p. 802.) de haereditate, et multa huius generis alia ex Iure antiquo docte periteque disputat. Praeter *Boëthium* referri etiam huc possunt *Tertullianus*, *Augustinus*, *Sidonius Apollinaris* et nonnulli alii. Nam *Tertullianus*, ut constat, in libris suis, ueluti in ipsa inscriptione noti illius libri *Praescriptionum aduersus Haereticos*, saepiuscule alludens, multa uerba e Iure mutuatus est eaque argumento suo scire accommodauit. Cuius rei interdum haec uis potest esse, ut talia uerba faciliores in iure explicari habeant. Deinde ad *Augustinum* et *Sidonium* quod attinet, habent illi quidem aliquanto ampliorem usum ad illustrandum *Codicem Theodosianum* et *Iustinianum*, sed nonnulla etiam ad antiquioris Iuris historiam suppeditant; ueluti *Augustinus*, qui (in lib. ad *Pollentium*, L.II. c. 8.) cuiusdam Constitutionis ex uetere *Codice Gregoriano* meminit, a *Schultingio* (in *Iurisprudencia ante Iustinianea*) ideo ad partes uocatus; et *Sidonius*, qui e. g. in lib. I. ep. 7. illustrando ueteri senatus consulto *Tiberiano* (ap. *Tacit.* III. *Annal.* et *Dion. Cass.* lib. LVII.) inseruit (conf. *Iac. Sirmondus* in not. ad h. l. *Sidon.*) His addi denique potest *Collectio legum Mosaicarum et Romanarum*, haut dubie ab antiquo Scriptore christiano profecta, et, ut *Iac. Gothofredus* ait, ad quam plurima prisca Iuris fragmenta, quae alibi nusquam, aut non plane occurrunt, restituenda, apprime utilis.

Sed

Sed haec et his similia, tametsi et ea ipsa non sunt con-  
 temnenda, haut in tanto tamen equidem posuerim pretio,  
 quam ea, quae ad *Codicis Theod.* et *Iustin.* interpretationem  
 ex iisdem fontibus profluere uidentur; de quibus, sequi-  
 tur, ut breuiter nunc dicamus. Ac primum constat inter  
 omnes, qui hos Codices semel tantum et perfunctorie in-  
 spexerunt, non paruam partem Constitutionum, quae in  
 utroque hoc Codice insunt, ad res ecclesiasticas pertinere.  
 Talis est v. c. rotus liber XVI. *Codicis Theod.* continens XI.  
*Titulos*, eosque omnes de rebus ecclesiasticis; ut *Tit. I. de*  
*Fide Catholica*; *II. de Episcopis, Ecclesiis et Clericis*; *III. de*  
*Monachis*; *IV. de his, qui super religione contendunt*; *V. de*  
*Haereticis cert.* et eiusdem generis Constitutiones multas conti-  
 net etiam *Codex Iustinianus*, et quidem in *Novellis*; quales exem-  
 pli caussa sunt *Novella VI. et CXXIII. de Episcopis, Clericis et Mona-*  
*chis, horumque requisitis, officio et coërcitione*; *Novella XXII. et CXIX.*  
*de Nuptiis et Diuortiis*; *Novella CXXXIII. de Monasteriis virorum*  
*et foeminarum.* Quantum uero Iureconsultis ad tales Constitu-  
 tiones explanandas Historiae ecclesiasticae atque adeo Scripto-  
 rum ecclesiasticorum auxiliis opus sit, haut puto quemquam  
 fore, qui non intelligat.

Sed illa fere sunt in promptu, neque longiori oratio-  
 ne egere uidentur. Quae reliqua sunt, ad hunc locum per-  
 tinentia, ea, ut ad finem tandem ueniamus, breuiter expe-  
 diam. Hic illud primum sumo, quod nemo, qui de re-  
 bus recte possit existimare, profecto negauerit, magnam

nempe vim magnumque momentum ad ueterum librorum interpretationem positum esse in conferendis Scriptoribus aequalibus. Habet enim unaquaeque fere aetas et in singulis uocibus et in tota orationis forma, quaedam sibi propria, quae non melius aut certius cognosci explicarique possunt, quam Scriptorum eiusdem aetatis comparatione inter se facta. Quod si quis dederit, dare autem nemo non potest et debet, hoc etiam largiatur, necesse est, ei, qui Codicem Iuris docte et eleganter interpretari uelit, praecipue rationem esse habendam Scriptorum aequalium; quo in primis pertinent ecclesiae latinae Scriptores, et in his maxime *Ambrosius, Augustinus, Sidonius Apollinaris, Cassiodorus, ceteri*. Atque hoc ipsum est, quod (*in Historia Iuris Heinecciana, p. 529. edit. Argentorat.*) docet illustris *Ritterus*, quem mearum litterularum praesidium a me uocari posse, incredibiliter gaudeo. Verba Viri illustris huc pertinentia haec sunt: *Si de uerbis (nempe quae occurrunt in Constitutionibus Codicis) disputandum est, adeundi sunt coeui Scriptores et in primis Patres Latini.*

Incredibile dictu est, haec ratio, quam late pateat. Nam primo ad ipsam *Oratio* et dictionem, quae in Constitutionibus et Edictis usurpatur, illustrandam; deinde ad notitiam rituum, locorum et in primis personarum, quarum in Codice mentio fit, aperiendam; denique ad historiam Legum et Edictorum explanandam, pertinere illa ratio existimanda est. Exempla primi generis possunt esse haec. Sic apud *Ambrosium Fiscalia* pro Tributis, Fisco debitis; apud *Sidonium Commonitorium* pro Mandato, Epistola; apud *Orosium*  
et



et *Saluianum affectus* pro iis, quos singulari affectu aliquis amat, cett. dicuntur; atque haec uerba adeo eodem plane sensu ibi occurrunt, quo item in Codice Iuris. Ad alterum genus pertinet exempli causa ille locus, cuius supra iam breuis mentio iniecta est, nempe de notitia *Dignitatum*; cui explicando quantum profunt Scriptores ecclesiastici, nihil attinet hoc loco dicere. Ex tertio genere omnes eae Constitutiones sunt, quae res ecclesiasticas attingunt quarumque adeo historia ex Scriptoribus ecclesiasticis est repetenda.

Omitto, ne longior in hac parte sim, nonnulla alia, quae fortasse huc trahi possent, ueluti illa Formula Testamenti apud *Gregorium Nazianzenum* (in *Append. T. I. Opp. Greg.*) item epistola illa *Sidonii* (lib. I. ep. 7.) de *caussa Aruandi*, cett. Misfa etiam facio ea, quae de libris *Nomo Canonum* dici adhuc potuerunt, quales e. c. *Ioannes Antiochenus* et *Photius Patriarcha* scripserunt, *Canones Conciliorum cum Legibus Imperatorum* comparantes. Neque enim, ut idem saepius repetam, instituti mei est, omnia exhaurire uelle, fatisque sit, praecipuos tantum causae meae locos indicasse.

Atque haec quidem de prima disputationis meae parte hoc loco dicta sunt. Veniendum nunc est ad alterum eumque grauissimum locum de *Vsu Patrum in Theologia uniuersa*. Cuius recensendi hoc seruabimus temperamentum, ut, quoniam immensa fere rerum copia et varietas sese hac in parte nobis offert, primo totam quasi syluam atque materiam omnium argumentorum, de quibus aliquid dicendum uideatur, ad certum quendam ordinem redigamus; atque tum de unoquoque loco, quam breuissime res patitur, separatim exponamus.

\*

AK III 2014


16

Pom Ti 2019, QK  
(3.)

3  
ULB Halle  
004 924 495  





Farbkarte #13

B.I.G.

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue



Hi  
2019

PTORVM  
CCLESIAE

(3)

D TERTIA  
LOCO

SOPHORVM ORDINE  
DO  
T. DEFENSA

R. GEYSERO

OS. ADI

ENTE  
RISTFRIEDO BODENO

S. TH. CVLT

. A. C. clō IdccLXV

RGAE  
IDRICHIANI

